

non per consequentiam, ut dixi, sed quia modus concessionis totum hoc continere potest, ut declaravi: quamvis enim hoc in illa lege non explicetur, non tamen excluditur. Et plane ita exponitur a Glossa in § *Sed et quod*, Instit. de Jur. natur., etc., verb. *Non transgreditur*, in ultima solutione dicens: *Vel melius, licet egrediatur personam, non est tamen generale jus, nec videtur alius, etc.*

7. Atque ita etiam non urget ratio illius sententiæ, quia licet merita possint esse motivum, et ratio dandi privilegium, non necessario sunt quasi fundamentum vel subjectum privilegii, ita ut ab illis pendeat in fieri et conservari; et hæc causa proxima est consideranda tanquam principalis, ut privilegium sit reale, sicut explicavi. Declaratur amplius: nam propter merita transitoria et solius personæ, potest illi concedi privilegium perpetuum, et propter merita unius progenitoris conceditur juste privilegium ipsi et posteritati, ut per se constat; ergo potest concedi propter merita privilegium reale, ut quotidie fieri constat; ergo, licet merita sint in sola persona, non recte infertur privilegium propter illa datum, etiam cum allegatione talis causæ, esse personale tantum. Neque contra hoc recte allegatur regula juris, quæ loquitur de causa, seu conditione, cui inhæret privilegium, ut supra declaravi. Nihil etiam ad rem faciunt cap. *Mandata*, aut dicta Panormitan. et Felin., quia non loquuntur de privilegio remunerativo, sed de illo in quo merita personæ considerantur tanquam indicia personæ aptæ ad tale munus; de quo est longe diversa ratio, quia tunc industria personæ eligitur, et ideo personalis est concessio.

8. *Privilegium remunerativum per se et ab intrinseco est indifferens quod sit personale vel reale.*—Dico ergo privilegium remunerativum per se et ab intrinseco non habere quod sit personale, sed de se indifferens esse ut sit etiam reale. Unde etiam non placet quod alii per contrarium extremum dixerunt, privilegium datum propter merita esse reale, quos late refert Barbos. supra, n. 6; nulla enim ratione vel jure id fundari potest: nam meritum de se indifferens causa est, et non est determinata ad præmium perpetuum potius quam ad temporale, loquendo inter homines; imo frequentius sufficienter fit remuneratio per privilegium personale, seu vitale, et concedere diuturnius esset supra merita. Igitur neutrum colligi potest ex eo quod merita in privilegio exprimentur; sed consideranda ulterius erunt

verba privilegii. Nam si cadant directe et proxime in rem, quamvis dicatur immunitas illius rei concedi propter merita petentis, seu possidentis talem rem, nihilominus privilegium erit reale, ut tandem agnoscit Barbos., n. 8. Si autem verba concessionis directe referantur ad personam cujus merita remunerari dicuntur, erit privilegium personale. Quod si, omnibus pensatis, verba sint dubia, ponderanda erit proportio meritorum ad privilegium, ut latior vel restrictior interpretatio fiat juxta exigentiam meritorum; nam verisimile est concedentem voluisse præmium justum et adæquatum conferre. Quod maxime locum habebit in beneficio principis, et in privilegio favorabili. Unde obiter adverto, quoties privilegii perpetuitas non cedit in commodum personæ, sed loci, vel sedis, seu dignitatis, non debere privilegium in casu dubio reale existimari propter solam excellentiam meritorum, si aliæ circumstantiæ non cogant, quia in tali casu, ex eo quod privilegium sit reale, non magis augetur præmium meritorum, et ita non videtur referre quod illa fuerint majora. Nisi fortasse privilegium sit impetratum ad petitionem talis personæ, cupientis tale beneficium facere loco, vel dignitati; tunc enim perpetuitas privilegii in illius satisfactionem et honorem redundaret.

9. *De privilegio conventionali et puro.*—*Baldus negat privilegium conventionale, sed est questio de nomine.*—Tandem eadem fere ratione expeditur ex dictis similis questio de privilegio conventionali, et colligitur tertia divisio privilegii, in conventionale et purum, seu absque pacto. Regulariter enim privilegia conceduntur, nullo interveniente pacto, sed per absolutam gratiam et beneficentiam concedentis, et de his privilegiis sub hac ratione spectatis nihil superest dicendum, quia supra communem rationem privilegii nihil addunt, nisi negationem conventionis et recompensationis ex parte recipientis privilegium. Aliquando ergo conceditur privilegium interveniente conventionem, seu pacto, ratione cujus quodammodo censetur privilegiarius emere, vel recompensare privilegium, et ideo distinctio hæc valde usitata est inter auctores, ut in discursu materiæ videbimus. Baldus tamen, in l. ult., c. Unde liberi, num. 33 et 34, indicat nullum esse privilegium conventionale, quia eo ipso quod transit in pactum, desinit esse privilegium, et ita hæc duo ibi condistinguit. Sed videtur esse de nomine contentio, et in rigore ratio pacti non repugnat cum ratione

privilegii, quia non est de ratione privilegii ut liberaliter et gratiose concedatur; nullus enim hoc posuit in definitione privilegii, nec ex aliis principiis colligi potest. Potest ergo esse lex privata aliquid speciale concedens, vel contra, vel supra jus, non tamen omnino gratiose, sed cum aliqua obligatione justitiæ, seu recompensatione recipientis, et hoc appellamus privilegium conventionale.

10. De hoc ergo dicunt aliqui esse privilegium reale, eo ipso quod in pacto fundatur, quia inde habet quod sit perpetuum et transmissibile ad hæredes. Quod patet, quia omnis contractus est transmissibilis ad hæredes, l. *Veteris*, c. de Contrahend. stipulat., et l. 4, c. Ut actiones, etc. Sed privilegium conventionale includit pactum; ergo est transmissibile ad hæredes; ergo est reale. Et hanc sententiam indicat Socin., l. 4 Consil., in 59, n. 9. Nam inde confirmatur privilegium remunerativum esse reale et transmissibile; quia habet vim pacti: ergo multo magis ipsum privilegium conventionale, quod expressum pactum involvit, erit reale. Denique tale privilegium irrevocabile censetur, ut late docet Bald. in dicta l. ult., c. Unde liberi, num. trigesimo tertio et trigesimo quarto, et Panormitan. in cap. *Pervenit*, de Immun. Eccles., nimirum per solam voluntatem concedentis, quia cum ex vi pacti includat mutuam obligationem justitiæ, non potest a concedente revocari; ergo de se perpetuum est. Quod enim ex mutuo consensu possit retractari, non tollit moralem perpetuitatem, de qua tractamus; sic enim nullum est privilegium ita perpetuum, quod non possit extinguï ex voluntate alicujus; ut ergo privilegium sit de se perpetuum, satis est quod sit irrevocabile ab alio; ergo tale privilegium est perpetuum, et consequenter etiam reale.

11. *Privilegium conventionale est per se indifferens ut possit esse personale etiam.*—*Objectio.*—Nihilominus dico privilegium reale non postulare per se et intrinsece ut sit conventionale, neque e converso conventionale postulare ut sit reale, sed de se indifferens esse ad personale et reale. Probatum primum, quia, sicut reale privilegium potest cum onere et pacto concedi, ita etiam potest liberaliter, et omnino gratiose donari. Cur enim uterque ex his modis locum habet in privilegio personali, et non in reali? Vel cur princeps poterit ex pacto alicui rei immunitatem concedere, et non ex liberali voluntate? Quin potius, liberalis concessio privilegii etiam perpetui est ma-

gis digna principe, quam venalis. Item est magis conveniens communi bono, quia si privilegia fiant venalia, facile multiplicantur, et hominibus indignis ac quæstuosus conceduntur; si autem ex prudenti dispensatione liberaliter donentur, rarius et cum majori delectu conceduntur. Dices hinc recte probari privilegium reale posse esse gratiosum, nihilominus tamen privilegium non gratiosum semper esse reale. Respondeo eadem proportione posse alteram partem ostendi. Quia sicut privilegium reale potest esse gratiosum, ita etiam personale potest esse conventionale, quia bona etiam personalia, seu ad tempus, vel ad vitam solius personæ concessa, possunt non gratis, sed ex pacto dari, ut usu ipso et experientia notum est; ergo privilegium conventionale potest esse personale; ergo per se et intrinsece non postulat esse reale. Confirmatur primo, quia servitus, sive donetur, sive vendatur, potest et soli personæ ad tempus vel vitam concedi, et in perpetuum transigi; et e converso, neque unum est magis per se conjunctum cum ratione servitutis, quam aliud; ergo idem est in privilegio, est enim æqualis ratio, servata proportione. Confirmatur etiam retorquendo rationem supra factam, quia privilegium remunerativum virtute est conventionale, et nihilominus de se non est reale magis quam personale; ergo idem dicendum est de privilegio conventionali.

12. *Privilegium conventionale non semper transire ad hæredes, sed ponderanda esse privilegii verba, juxta dicta.*—*Privilegium concessum rei, dignitati aut officio, transit cum illis ad hæredes modo quo illa.*—Unde etiam infertur privilegium conventionale non semper transire ad hæredes, sed ponderanda esse verba privilegii juxta regulas positas capite præcedenti. Nam, formaliter loquendo (ut sic dicam), privilegium concessum personæ, etiam ex pacto, non transit ad hæredes, nisi in ipso privilegio nominentur sub nomine hæredum, vel sub nomine posteritatis, vel alio æquivalenti; et ex proprietate ejusdem vocis colligendum erit an transeat ad hæredes sanguinis et quasi naturales, vel etiam ad voluntarios et extraneos. Si autem privilegium concedatur rei, vel dignitati, aut officio, tunc in tantum poterit privilegium transire ad hæredes, in quantum res, vel dignitas, aut officium ad illos pervenerit: nam si contingat res illas pervenire ad alios non hæredes, privilegium etiam perveniet ad illos, quia cum ipsa re transit.

13. *Leges dicentes contractus transire ad hæredes, generaliter sumptæ, non dicunt actum, sed aptitudinem. — Longe diversum esse privilegium esse perpetuum, ac esse irrevocabile. — Ad illas vero leges quæ dicunt contractus transire ad hæredes, respondeo illa verba, generaliter sumpta, non dicere actum, sed aptitudinem, quia contractus de se potest ita fieri, ut transeat ad hæredes; non tamen id semper esse necessarium, cum possit etiam per respectum ad solas contrahentium personas contrahi, ut patet in matrimonio. Vel certe, si de actu sit sermo, intelligendum est contractum transire ad hæredes, nisi de voluntate contrahentium constet fuisse limitatum ad personas, juxta l. *Idem*, 25, ff. de Pactis. Denique eodem modo dicitur irrevocabile privilegium conventionale, scilicet, pro eo tempore pro quo datum et conventum est, et ita etiam privilegium personale potest esse irrevocabile, ut per se notum est. Quomodo autem talia privilegia sint irrevocabilia, dicemus postea tractando de mutatione privilegiorum. Nunc solum notatur longe diversum esse quod privilegium sit perpetuum, vel quod sit irrevocabile, quia etiam temporalia possunt esse irrevocabilia pro temporibus suis, sicut votum temporale respective tam irrevocabile est quam perpetuum.*

CAPUT V.

DE DIVISIONE PRIVILEGII IN PERPETUUM ET TEMPORALE.

1. *Non dici privilegium perpetuum quia finire non potest, sed quod adhæret rei de se perpetuæ, vel quod sine limitatione datur. — Temporale diversimode dicitur. — Tertius modus privilegii temporalis, quod sub conditione detur quæ lapsu temporis finitur. — Quarta divisio privilegii, in perpetuum et temporale, in præcedentibus sæpe insinuata est; eam vero paulo exactius explicare oportet. In illa igitur imprimis advertendum est non dici privilegium perpetuum, quia finire non possit; semper enim amitti possunt privilegia, ut postea videbimus, sed dicitur perpetuum, quod vel adhæret rei de se perpetuæ, vel sine limitatione temporis conceditur, durat enim de se, quamdiu revocatum non fuerit. Temporale autem multis modis contingit. Primo, quia ad definitum tempus conceditur, quo elapso finitur, l. *Quoties*, c. de Precib. imperatori offer. Secundo, licet absolute et indefinite detur, nihilominus temporale erit, si soli personæ con-*

cedatur, ita ut sit personale et singulare, ut supra declaratum est. Quamvis enim respective posset tale privilegium dici perpetuum, quia pro tota vita conceditur (quomodo dicitur exilium poena perpetua), vel ob eandem causam vitale dici possit; nihilominus simpliciter temporale est, sicut et vita, qua finita finitur, cap. *Privilegium*, 7 de Reg. jur., in 6, et leg. *Privilegia*, et leg. *In omnibus causis*, ff. eod. Nam corruptis nobis, corrumpuntur ea quæ sunt in nobis: hoc autem privilegium conceditur personæ, et illi soli adhæret; ergo cum illa perit, et neque ad hæredem, neque ad successorem transit. Vide Decium in c. *Sane*, de Privileg. Tertio, est privilegium temporale, quod sub conditione datur quæ lapsu temporis finitur, nam illa conditione impleta, cessat privilegium, quia voluntas concedentis ultra non extenditur. Et hoc modo potest etiam esse privilegium vitale ex parte concedentis. Nam licet, absolute loquendo, privilegium, ut sic, non finiatur per mortem concedentis, sicut nec gratia, nec favor, cap. *Gratum*, de Offic. deleg., et c. *Si super gratia*, eod., in 6, nihilominus si concedens addat conditionem, donec decessero, finitur per mortem ejus, ut constat ex ratione facta, quia voluntas non ultra extenditur. Et eundem sensum censetur habere illa verba, *usque ad beneplacitum meum*; nam, licet ex vi illorum non cesset privilegium, vivente auctore ejus, nisi illud revocet, tamen per mortem ejus finitur, quia virtute includit conditionem, ut semper pendeat a voluntate personæ concedentis; mortuo autem concedente jam non potest ab illius voluntate pendere, quæ jam non est voluntas talis personæ, et ideo cessat dependentia, et consequenter etiam privilegium. Secus autem erit si dicatur, *ad beneplacitum sedis*, quia sedes perpetua est, et ita semper revocari potest, et ideo quamdiu non revocatur, durat. Et ita hæc clausulæ explicantur in c. *Si gratiose*, de Rescr., in 6, et infra, tractando de amissione privilegii, plura de illis addemus.

2. Ex quibus constat duo esse necessaria et sufficere ad perpetuitatem privilegii. Unum est, ut simpliciter et absolute concedatur, vel cum aliqua conditione perpetua, ut est proxime dicta, vel, donec revocetur, vel alia similis. Hæc namque conditiones virtute includuntur in quocumque privilegio, ideoque licet exprimentur, non mutant naturam ejus. Et ideo tale privilegium ex parte dantis perpetuum est, ut sumitur aperte ex c. *Si super gratia*, de Offic. deleg., in 6; et ex c. *Si cui nulla*,

de Præbend. in 6, quibus locis Glossa et doctores id notant. Sumitur etiam ex Glossa in cap. ult. de Offic. deleg., ubi Panorm. idem tenet; adhibet tamen limitationem, scilicet, ut non procedat in privilegio concessio ab Episcopo sine causæ cognitione, cum præjudicio Ecclesiæ parochialis, et ponit exemplum in licentia eligendi confessorem. Sed exemplum verum non est, ut dixi in tomo de Pœnit., et ita non est necessaria limitatio, ut infra dicam. Sylvester autem, verbo *Confessor*, 1, quæst. 7, sentit quod, si in privilegio dicatur *usque ad beneplacitum sedis*, est perpetuum, etiamsi sit privilegium eligendi confessorem, non vero si absolute concedatur. Sed nulla ratione id probat, nec est verisimile, ut recte docet Navarrus, qui regulam datam simpliciter approbat in d. cons. 1 de Privil., et in c. *Placuit*, de Pœnit., d. 6, n. 161, et consonat reg. jur.: *Decet beneficium principis esse mansurum*, ut dicitur in regula 16, in 6. Denique potestas in concedente supponitur, et voluntas non deest, quia absolute posita, virtute durat donec revocetur; sufficienter autem censetur absolute, et de se perpetuo posita, quando absoluta sunt verba, et aliam limitationem non declarant.

3. *Censetur privilegium perpetuum, quod conceditur religioni, vel rei immobili, ut Ecclesiæ vel monasterio; at his destructis extinguatur privilegium. — Nec privilegium reale, nec personale esse durabilius suo fundamento. —* Alia conditio necessaria ad privilegium perpetuum, est ut adhæreat rei perpetuæ, quia alias cum illa finitur, ut dictum est. Res autem humanæ maxime sunt perpetuæ per successionem quamdam. Et hoc modo est imprimis perpetuum privilegium concessum religioni, quia, licet personæ finiantur, religio manet. Item est perpetuum privilegium concessum dignitati, quia illa etiam semper durat per successionem personarum. Unde obiter notari potest privilegium perpetuum respectu unius, scilicet, dignitatis, vel loci, esse temporale respectu personæ, nam si perdat dignitatem, vel mutet locum, amittit privilegium. Denique censetur perpetuum quod conceditur rei corporali immobili, ut Ecclesiæ, vel monasterio: quia res ipsa perpetua est, cap. *Quæ semel*, 19, quæst. 3. Tamen, quia contingit hunc ipsum locum destrui, si absolute id eveniat, ita ut extinguatur, finitur etiam privilegium, argumento capit. *Et hoc dicimus*, 16, q. 7, ubi id notat Glossa. Idem Glossa ult., in capit. *Abbate*, de Verbor. significat.; et Glossa in regul. *Privilegium*, de Regul. jur., in 6;

item Glossa et Innoc. in cap. 2 de Nov. oper. nunc., ubi etiam Abb., n. 5, et Alex. de Nevo., qui alios refert; et Sylvest. verb. *Civitas*, q. 2; et sumitur ex dicto cap. 2 de Nov. oper. nunc. Quia destructo principali destruantur accessoria, et ablato fundamento cadit ædificium. Denique ita se habet privilegium reale ad locum, sicut personale ad personam: neutrum ergo potest esse durabilius suo fundamento; sicut ergo extinguatur privilegium personale extincta persona, ita etiam locale extincto loco.

4. *Difficultas oborta ex dictis. —* Insuper vero ex hac declaratione difficultas, quia, si valida est, absolute et sine limitatione concludit; at vero Innocent., Glossa et doctores citati non absolute tradunt doctrinam, sed cum distinctione et limitatione. Volunt enim doctrinam illam procedere, quando locus destruitur auctoritate superioris; nam tunc omnino amittit privilegia, imo et jura omnia et nomen, tam in se quam in personis ejus, ita ut non possint amplius ab illo loco nominari, ut, verbi gratia, dici non possint canonici talis Ecclesiæ, vel cives aut membra talis civitatis vel universitatis; imo etiam addunt hoc debere intelligi, quando destructio loci fit a superiore sine spe refectionis, ut notat Felin. in c. *Cum dilecta*, de Rescript., n. 25, ex Alex. in leg. *Inter stipulantem*, § *Sacram rem*, ff. de Verbor. obligat. Secus vero esse dicunt si locus sit destructus contra voluntatem superioris, ut ab hostibus, vel latronibus, etc. Nam tunc dicitur non amittere privilegia, sicut non amittit jura, nec nomen, aut denominationem personarum in ordine ad ipsum, juxta capit. *Pastoralis*, 7, quæst. 1. Idemque dicendum erit consequenter, etiamsi locus quocumque casu contingente pereat, seu destruat, argumento leg. *Æde sacra*, ff. de Contrah. empt., ubi dicitur, diruta æde sacra, locum non fieri profanum, et ideo vendi non posse.

5. Respondeo et doctrinam hanc veram esse, et nihilominus priorem assertionem simpliciter veram esse, recteque probari ratione facta. Nam in illis casibus, in quibus locus destruitur ex mandato superioris seu domini, ideo extinguatur privilegium, quia omnino perit, et ideo recte additur quod debet res destrui sine spe refectionis. Idem autem erit si destructio naturaliter contingat, etiamsi sine spe refectionis, quia militat ratio supra facta, ut recte notavit Felin. supra ex Bald. in leg. *Non ambigitur*, ff. de Legib. et aliis. Secus vero est quando locus revera non simpliciter destrui-